

tanto spiritu, tanto pondere verborum & rerum,  
tanta virtute, gravitate, & suavitate vocis atq;  
melodie, inclusit, *Ein veste Burg ist vnser Gott!*  
ut etiam cacodæmones trepidantes fugiant decan-  
tationem illius: id quod certò affirmare possum,  
cum eiusdem Psalmi alacri & iterata aliquoties  
decantatione diabolum in puella obsessa senientem,  
ad horrendos quiritatus, eiulatus, boatus, vlula-  
tus, mugitus, rugitus, planctus, fremitus, in pu-  
blico Ecclesie catu, cum magna omnium admi-  
ratione & Dei celebratione, adegerimus, & inde  
cum ignominia ipsius sempiterna, tandem, Dei  
beneficio, abegerimus. Fertur de quodam, qui  
dicere non sit veritus, se victurum non esse, nisi ar-  
cem illam firmam, *Die veste Burg!* intelligens  
Euangelij doctrinam, quam nominant Luthera-  
nam, debellasset & diruisset. Is post triduum mor-  
tuus est subito, sine agnitione & inuocatione Dei.  
Scripsit ibidem Lutherus aureum illud & planè  
diuinum Poëma, quod ipse nominauit, *das schöne  
Confitemini*, in quo ceu symbolum usurpauit ver-  
sum: *Non moriar, sed viuam, & narrabo opera  
Domini: quem versum una cum verbis, In pa-  
ce in idipsum, petijt à Ludonico Senfflio, celeberrimo,  
Bauaria Ducis olim Musico, numeris musicis  
comprehendi: quod egregie ille prestuit, & prop-  
terea Luthero semper carus fuit. Nemo enim  
piorum & bonorum, Musicam piam & castam  
non magnifacere, & amare potest, qua & animos  
hominum*